

Noch eine Bischofsernennung

Venerabili fratri Philippo episcopo Sabinensi, in nonnullis terris Italie Romane ecclesie immediate subiectis nostro et pro eadem ecclesia in temporalibus vicario generali salutem etc. Nuper pro parte dilecti filii Jacobi de Sanctamariarotonda de Urbe, in artibus et medicina magistri, nobis fuit humiliter supplicatum, ut dilectum filium Paulum ipsius Jacobi filium, in eisdem artibus et medicina magistrum, ad lecturam facultatum artium et medicine in studio Romano cum omnibus salariis, gagiis, honoribus, muneribus et oneribus consuetis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, statutis et consuetudinibus dicti studii contrariis, etiam si in eis caveatur, quod ad huius lecturam quis per electionem assumatur, vel quod nullus extraneus ad eam assumi debeat, admitti mandaremus. Volentes igitur dictum Paulum, apud nos **de litterarum scientia, vite ac morum honestate aliisque virtutum suarum meritis multipliciter commendatum,** favore prosequi gratioso, fraternitatem tuam hortamur attentius tibi nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatinus, **si hoc sine scandalo fieri posset,** pefatum Paulum ad huiusmodi lecturam, prout circumspectioni tue videbitur, auctoritate apostolica admitti facias atque mandes.

Dat. apud Villamnouam Auinionensis diocesis, XI kal. Augusti anno secundo.

Reg. Vat. 268 (Reg. Gregorii XI, anno secundo)
fol. 166v – 167r. (Sekretär Guillelmus Baronis)

Regest: Mollat I Nr. 2618